

Entia *Mathematica, Naturalia, Moralia, Notionalia*, vid Pantof Sect. i. ita, cum abstractâ corporis naturalis capacitate, quæ vulgò *CORPUS mathematicum* dici solet, etiam quatuor corporum genera commodè distingui possunt, ut Corpus sit vel *Mathematicum*, vel *Naturale*, vel *Morale*, vel *Notionale*: quorum concursu 4. quoque genera Mundi concipi possunt, *MUNDUS* nempe *mathematicus, naturalis, moralis & notionalis*.

§. 6. Quaternarius hic ex binario, tanquam ex radice suâ, deduci commodissimè potest, hoc modo: *CORPUS* est vel *Constitutum*, vel *Statutum*. Illud nomen Corporis per primam impositionem sustinet, & hîc præcipuè spectatur; Hoc, per translationem ob eximiam analogiam eodem nomine designari solet, & hîc, ut intimiùs nobis perspectum, pro meliori declaratione Corporis illius, præsertim concretè spectati seu naturalis, adducitur.

I. *Constitutum* dicitur Corpus, cujus partes extra partes sine hominum consensu certum modum extra-mentalem subeunt, & secundum Divini Numinis constitutionem (secundum naturam) certâ ratione sibi coordinatæ certam speciem pluralem exhibent, ad extrinsecus innuendam Auctoris rerum unici præsentiam omnipotentem, ab intelligentibus sanctè venerandam. Et spectatur

I. Vel *abstractè*, prout *in mente* nostrâ seorsim elucet, ut *CORPUS MATHEMATICUM*, h.e. abstracta partium extra partes ratio cohesiva, tum *dimensionalis* (1) à puncto, secundum (2) longum, (3) latum & (4) profundum; tum *figuralis* secundum terminationem dimensionum ad certos angulos con- & di-vergentium. h. e. secundum *Figuras*: utrumque tamen sine motu, saltem quatenus *abstracta* primòque velut inspicienda rerum extensarum aliàs mobilium *Specimina*, Germanicè *Modell*/ per immota *Diagrammata* nobis exhibentur. Unde, tanquàm primò *discenda*, *Corpora Mathematica* dici solent.

II. Vel *concretè*, prout extra mentem esse verè solet, ut *CORPUS NATURALE*, s. partium extra partes, ad certam Speciem pluralem ita dispositarum, ratio mobilis extra mentem nostram concretè spectata, quæ constituitur & fit

vel primò, & quidem

vel absolutè primò, per

1. *Creationem*, ex nihilo puro præexistente.